

18804.

DE SYPHILIDE NEONATORUM.

\*\*\*\*\*

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM,

CONSENSU AMPLISSIMI MEDICORUM  
ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM  
DORPATENSI,

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

RITE IMPETRANDO,

LOCO CONSUETO

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

*ERNESTUS FRIDERICUS RHODE,*  
RIGENSIS,



.....

DORPATI LIVONORUM

EX OFFICINA ACADEMICA J. C. SCHÜNMANNE  
MDCCCXXV.

*P r o l e g o m e n a .*

*Diu multumque mecum reputanti, quodnam potissimum argumentum, in quo exponendo dissertatio mea inauguralis versetur, eligerem, syphilis tandem infantium recens natorum animo se obtulit. Est quidem, quod mihi objici poterit omninoque objicietur, scilicet materiam me tractandam suscepisse, de qua viri in praxi medica acutissimi iudemque exercitatissimi adhucdum ambigant, neque inter se consentiant, nimisque audacem videri medicum tironem, qui talia molliatur; sed si hoc modo rem consideres, nulla revera scientiae nostrae, tam late patentis, existit pars, quam scribendo aggredi in tirociniis haerenti liceret. Namque disciplina medica maxime experientiae, tanquam firmissimo fundamento suo, est superstructa, quam si quis saepius consuluerit ejusque ope interiora scientiae penetralia adierit, is demum orbi litterario insignem aliquam utilitatem scriptis ac lucubrationibus suis adferre valebit. Tironis vero,*

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit haec dissertatio, septem exemplaria collegio, cui censura librorum mandata est, tradantur.

Dorpati Livonor. d. xxviii, m. Maii mDcccxxv.

Dr. L. A. S t r u v e,  
h. t. Decanus.

D 20190

qui omni fere usu et experientia destituitur, non est, de quocunque argumento, sibi proposito, novi aliquid aut prius inauditi in lucem edere. Quod si igitur ea, quae a superioribus medicis dicta et copiosis observationibus satis confirmata sunt, rite colligat, atque ordine idoneo servato, in summam ita redigere studeat, ut omnia vinculo convenienti cohaerere videantur, jam in his acquiescet candidus lector. Neque enim alia ratione ac lege, si quid forte in deligendo dissertationis meae themate peccaverim, apud aequos rei arbitros veniam me impetraturum, credo.

Hancce vero commentatiunculam publici juris faciens, superest, ut te, benevole lector, summopere orem atque obtester, ne eam, quippe quae lucubrationum mearum primitias exhibet, nimis acerbo ac se-vero judicio perlustres, sed fronte serena animoque in scriptorem indulgenti excipias.

---

## Caput I.

### syphilidis neonatorum diagnosi.

Fieri vix potest, ut imaginem expressam satisque distinctam morbi in neonatis syphilitici adumbremus, cum symptomata malum comitantia, tam varia existant adeoque inter se discrepent, ut nonnunquam medico, in praxi exercitatissimo, haud expedita sit ejusdem diagnosi. Nihilominus tamen paginis sequentibus signa pathognomonica hujus morbi, secundum observationes medicorum optimorum et in arte sua versatissimorum, exponere pro virili conabor.

Saepius quidem in infantibus eadem symptomata, quae in adultis huic malo propria sunt, deprehenduntur, quam saepissime vero ab iis sunt diversa similiaque frequenter alios etiam morbos comitari animadvertimus. Maximi igitur in diagnosi erit momenti, ne eam singulis symptomatibus niti patiamur; plurium tantummodo notarum distinctivarum consociatio medico

persuadere potest, adesse malum illud, de quo loquimur. Neque sufficit, symptomatum in infantibus obviatorum unice rationem habere, sed exquirenda etiam est valetudo parentum, nutricum infantum lactantium, et in univium accurate sciscitandum, quibusnam personis vel rebus externis infans proxime stipetur; id ipsum enim est, quod morbo ejus rite cognoscendo quam maxime inserviat.

Primo igitur ea symptomata pertractabo, quae tanquam signa syphilidis in ipso infante apparent.

Auctores plures et inter alios Mahonius 1), Doubletus 2), Fleischius 3), Rosensteinius 4), rel. contendunt, multos infantes indicia infectionis sy-

- 
- 1) Mahon, über die venerische Krankheit neugeborener Kinder: vid. Sammlung auserlesener Abhandlungen für practische Aerzte. Bd. XIX. St. 3. pag. 400.
  - 2) Doublet, von der venerischen Krankheit bei Neugeborenen: ibid. Bd. VII. St. 4. p. 607.
  - 3) Fleisch, Handbuch über die Krankheiten der Kinder. Leipzig, 1803. Bd. I. p. 416.
  - 4) Rosenstein, Anweisung zur Kenntniß und Kur der Kinderkrankheiten, übersetzt von Murray, mit Anmerkungen von Loder und Buchholz. Göttingen, 1798. pag. 729.

philitticae jam e matris gremio secum adferre, id quod alii e contrario, ut Hunterus 5), Girtannerus 6) omnino negarunt, qui ideo etiam haud concedunt, luem veneream a parentibus in liberos propagari, qua de re vero sectione sequente plura dicentur. Plerumque prima symptomata syphilitica tertio, quarto, octavo vel decimo quarto post partum die conspiciuntur, quin imo, si Mahonium audimus, virus venereum interdum per duos menses integros et quod excurrit in occulto latet, antequam vim suam in organismum manifestet. Prima infectionis signa in cute, ore, labiis et oculis animadverti solent. Variis corporis locis pustulae prodeunt, iis similes, quae, uti Mahonius 7) ac Capuronius 8) docent, in varicellis occurrunt, eo tamen differentes, quod paullulum planiores sint; cito etiam in suppura-

- 
- 5) Hunter, Abhandlung über die venerische Krankheit. Leipzig, 1787.
  - 6) Girtanner, Abhandlung über die venerische Krankheit. Göttingen, 1803. p. 428.
  - 7) l. c. Bd. XX. pag. 425.
  - 8) Capuron, Abhandlung über die Krankheiten der Kinder, mit einer Vorrede von Puchelt. Leipzig, 1821. Th. I. pag. 130.

tionem transire, neque dirumpi, sed siccescere plerumque dicuntur. Interdum hae pustulae in summa cute paululum elatae apparent, colore sunt livido, cuprino, quas post aliquot dies crusta vel magis vel minus crassa obtegit perhibent. Saepius inter se invicem confluunt et amplas formant crustas. Mahonius nonnunquam in apice nasi maculae cujusdam nigrae speciem observavit, quae nihil aliud esset, quam impressio, ab ejusmodi plana vel parum elata pustula, profecta, quae cito in gangraenam abire minaretur 9). Quam saepissime ejusmodi pustulae in vera mutantur ulcera, quae acerbissimam emittunt saniem, tum vero tanquam tutissimum inter alia praesentis syphilidis indicium, fundum ostendunt lardaceum. Conspiciuntur ista ulcera saepe in capite et facie; praecipue autem in cavitatibus axillaribus, hypochondriis, partibus genitalibus, in umbilico, ano, osse sacro, malleolis, calcaneis animadversa sunt. In pedibus Mahonius inflammationem et exulcerationem calcis observavit, illudque symptoma semper cum

---

9) l. c. Bd. XX. pag. 126.

dolore violento incipiebat, in cute ulcus effingebatur, tela cellulosa, quae integumenta ossi calcis affigebat, solvebatur, atque os denudatum est 10). Idem in manibus magnas et elatas pustulas animadvertit, quae brevi tempore in suppurationem transierunt et unguibus vicinae effecerunt, ut illi decederent. Haecce ulcera syphilitica saepe colorem ducunt lividum vel subnigrum et omnino in gangraenam tendunt, quae plerumque, iis neglectis, accedere solet.

Inter signa syphilidis neonatorum pathognomonica auctores etiam ophthalmiam recensent, quae initio utique palpebras duntaxat occupat; quibus vero inflammatis, ex glandulis Meibomii magna mucii copia excernitur, quae secundum Mahonium 11), gonorrhoeam adultorum quodammodo refert. Istum laticem, palpebras conglutinantem, praecipue tempore matutino effluere ferunt. Inflammatione magis increscente, cum conjunctiva communicatur, quae scilicet rubescit, vasa intumescunt, cornea denique in consensum

---

10) *ibid.* pag. 134.

11) Mahon, *oeuvres posthumes*. Paris, 1804 pag. 453.

trahitur. Totus oculus tum propellitur, effluxus fit purulentus, imo Mahonius 12) duobus in casibus sanguinem e palpebris exsudari videbat. Sic igitur destructio semper longius procedit, maculae oriuntur in cornea, quae pure acerbissimo perroditur, oculi humores effluunt, postremo videnti facultas penitus cessat. Mahonius affirmat, ophthalmiam interdum ita esse violentam, ut totus bulbus in pus solvatur; tali casu observasse prohibet, hanc destructionem ad sinus cranii usque propagatam fuisse 13). Interea cavendum, ne ophthalmiam apparentem protinus syphiliticam pronunties, cum in neonatis frequenter ex aliis causis eam prodire observatum sit. Neque commutanda est cum ophthalmia scrophulosa, quae itidem neonatos corripit atque similiter copiosam muci excretionem comitem habet. Ophthalmia syphilitica potissimum distinguitur multo majori, qua viget, vehementia, decursu celeriori, et, nisi mox remedia idonea adversus eam adhibeantur, vehementiori ipsius bulbi adfectione. Ophthalmia scrophulosa e contrario chronica magis

12.) Samml. auserl. Abhandl. Bd. XX, p. 127.

13) ibid. Bd. XIX. pag. 409.

est, magisque infestandis palpebris earumque glandulis continetur; dolores haud adeo sunt vehementes, eo major vero photophobia. Si quis igitur de indole ophthalmiae syphiliticae certior vult fieri, syphilis et in aliis organis manifeste se exserat, omnino necesse est, alioquin enim facile in errorem inciderit, praesertim cum vel ophthalmia neonatorum vulgaris neglecta tantam adoptare possit vehementia, ut oculi jactura sequatur.

In labiis oriuntur ulcera, aphthae, quae in ipsum os penetrant, partem internam genarum, palatum molle, tonsillas, uvulam, totam omnino faucium cavitatem corripunt; inde ad cavum usque narium proserpunt, membrana mucosa afficitur, effluxus saniosus e naso oritur, qui cavum narium obstruit et hoc modo respirationem difficiliorem reddit. Pus denique ossa invadit, quae cariem contrahunt. Ceterum, ni utique ulcera in cavo narium efformentur, semper tamen per ophthalmiam membrana Schneideriana afficitur; initio levis coryza catarrhalis oritur, quae tandem in gravedinem transit, qua talis vero, ulcera quoque gignere et destructiones supra memoratas producere potest. Inflammatio membra-

nae Schneiderianae cum ejusdem propaginibus communicatur, nempe cum membrana mucosa, quae sinus frontales, sphenoides, et maxillares contegit; itaque si male res cesserit, ad cerebrum usque destructiones istae protendi possunt.

Ex auribus etiam saepius effluvium purulentum oriri videmus, quod, si simul e palpebris emanat, secundum Girtanneri 14) sententiam, signum pathognomicum certum morbi venerei, quo infans laboret, praeberere prohibetur.

In partibus genitalibus vero praecipue ulcera animadvertuntur, fundo suo lardaceo insignia; sed rarius tantummodo Doubletus 15) in glande puerorum ulcera orbiculata canerosa reperiebat, contra in scroto multo frequentius obvia erant. Porro in genitalibus, uti etiam in ano, si morbus jam majora incrementa ceperit, condylomata conspiciuntur, in ano etiam fissurae et rhagades, quae discolorem et foetidam saniem effundunt. Haec ulcera ac rhagades in genitalibus et ano stimulo continuato, quem urina et excrementa

14) l. c. pag. 425.

15) l. c. Bd. VII, St. 4. pag. 612.

adferunt, magnopere faventur et ideo etiam quam maxime ad gangraenam vergunt. Cum sic dicta intertrigo infantum iis in locis, ubi cutis plicata format, admodum sit vulgaris, facile est intellectu, in ipsis genitalibus, si praeterea immunditia accedit, hasce erosiones mox in ulcera transire, quae cito partes contiguas exedunt et medellae pertinaciter resistunt.

Effluvia ex urethra in pueris Doubletus 16) raro observavit; Mahonius 17) semel observasse putat; in puellis quoque haud magni momenti habenda esse, monet, cum profluvium album ac mucosum in omnibus puellis neonatis non solum ex vagina, sed etiam e mammis, pressione adhibita, conspiciatur; ad summum, illo iudice huncce effluxum tanquam symptoma morbi, et quidem venereum, intueri licet, si per longius post partum tempus animadverteretur.

Quod ad tumores varios attinet, qui in infantibus syphiliticis deprehenduntur, hi, uti in adultis, tam in partibus mollibus, quam in os-

16) ibidem.

17) l. c. Bd. XX, p. 133.

sibus obvii sunt; observantur in parte capitis capillata, in temporibus, super oculos, in processu mastoideo, in omnibus omnino corporis locis. Tumores, qui in tegumentis cranii nascuntur, secundum Mahonium 18), multiplices diversitates exhibent; aut orbiculares sunt ac duri, aut irregulariter formati ac molles, atque haud raro steatomata referunt. Quandoque multi uno eodemque loco adsunt, interdum vero dispersi ac separati. Sic medicus iste casum quendam observavit, ubi infans sex hebdomadam in omnibus fonticulis, tumoribus, magnitudinem nucis aequantibus, obsitus erat. Exitus horum tumorum aut resolutio est, aut suppuratio, quin nonnunquam transitus in gangraenam et caries. Doubletus exemplum quoddam allegat infantis, cui inter aurem externam ac processum mastoideum tumor amplus nascebatur, qui tandem cariem in osse temporis sequelam habuit 19). Tumores suppurantes Mahonius frequenter in humeris, partibus lateralibus spinae dorsi et natibus prodire animadvertit; affert porro, saepius in regione

18) *ibid.* pag. 125.

19) *l. c.* pag. 609.

lumbali tumores amplos, elatos, molles, migrantes observatos esse, quos spinam bifidam existimarunt, neque tamen nisi in tegumentis sedem fixerant 20).

Inflammationes erysipelatosas in infantibus syphiliticis frequentissime reperimus, quae praecipue faciem, umbilicum, penem ac regionem lumbalem occupant. Quam velocissime in ulcera transeunt, quae magnopere ad gangraenam proclivia sunt. Ejusmodi erysipelas, uti etiam ulcera inde orta, praecipue si in umbilico oriuntur, aequae ac erysipelas neonatorum hoc in loco in universum, ad symptomata pertinent periculosissima. Num induratio telae cellulosaee in neonatis etiam ceu symptoma syphilitidis sit consideranda, cum Goelisius 21) indolem ejus syphiliticam pronuntiet, equidem decernere non audeo, in tanta sententiarum apud varios auctores diversitate; existimo autem, eam omnino, sicuti erysipelas, morbo comitem adjunctam esse posse, verum enimvero nimis longe progredi ii mihi viden-

20) *l. c.* Bd. XX. pag. 132.

21) *Med. chirurg. Zeitung* 1812. Bd. I. p. 158 und 1815. No. 85. p. 128.

tur, qui e praesentia indurationis indolem mali syphiliticam colligunt, quam diu saltem observationibus frequentioribus id non erit confirmatum.

Tumores vero glandularum inter phaenomena vulgaria ubique apparent, atque aequae frequenter ac in adultis, nisi mox remediis aptis adversus eos utimur, in suppurationem abeunt.

Secundum Heckerum 22), sequelae contagii, ab infantibus contracti, valde ab iis differunt, quae in adultis locum habent, quamvis non in omnibus infantibus eadem sint. In malis venereis localibus et in lue venerca infantium duas differentias principales statuit, in eo positas, quod sive viro syphilitico sive gonorrhoeico infecti fuerunt. Priori casu malum multo citius erumpere multoque vehementius et periculosius esse, affirmat, quam altero; e contrario, si istud altero casu mitius quoque est, medelam tamen

22) Hecker, deutliche Anweisung, die venerische Krankheit genau zu erkennen und richtig zu behandeln. Erfurt, 1801. p. 444, und dessen Kunst, unsere Kinder zu gesunden Staatsbürgern zu erziehen u. ihre gewöhnlichsten Krankheiten zu heilen. Erfurt, 1805. p. 775.

multo diuturniorem ac difficiliorem esse. In syphilitide per virus syphiliticum effecta, quam duplici ratione oriri posse, asserit, sive in transitu per vaginam, sive lactatione, osculis, etc, symptomata localia iis locis erumpunt, quibus virus venereum admotum est, quae tandem luem veneream universalem provocant, plane ut in adultis, eo auctore, apparentem; exostoses tamen ac cariem in infantibus haud esse obvias, docet, sed ossa potius mollia fieri ac incurvari. Haec luis species per gangraenam accedentem et febrem lentam plerumque cito mortem adfert, saepe jam primo vitae anno. In altera specie, quae per virus gonorrhoeicum gignitur, nulla saepe apparent phaenomena graviora, frequenter vero levis inflammatio, saepius regrediens, aut eodem loco aut aliis in partibus. Ita infantes ad aetatem unius vel duorum annorum pervenire, affert, tum vero sensim enascuntur tumores epiphysium, in digitis, in carpo, in genu ac malleolis, sine mutatione coloris cutanei ac sine doloris vehementis excitatione. Quod si cutem superjacentem aperias, parum puris invenies, os vero carie adfectum, uno verbo, paedarthrocacem excultam,

quae tum forte causa esse potest, ut integra ossa et articuli consumantur. Simul obstructions in toto systemate lymphatico, tumores glandularum in collo, pone aures, sub brachiis, et in regione inguinali apparere, asserit. Animi facultates maiore emergunt, sed infantes macilenti sunt et debiles. In cute exanthemata herpetica animadvertuntur, porro tinea capitis, labium superius tumidum, oculi inflammati, aures humidae, abdomen inflatum ac durum, leucorrhoea et cet. observantur. Tumores glandularum inflammantur, suppurare incipiunt, ulcera inde orta fungosa, alba, lardacea conspiciuntur, atque pus lacti coagulato simile est. Quodsi ista symptomata non sunt nimis vehementia, pubertatis tempore, praecipue in puellis, incipiente menstruatione, sua sponte cessare perhibet; casu contrario febris lenta mortem adducit. — Hanc alteram speciem, uti jam supra memoravi, mitiorem esse, inquit; quod mihi quidem, si revera syphilitidi esset adnumeranda, non admodum videtur probabile; nam in lue ex viro syphilitico genita, secundum Heckerum, nullae occurrunt ossium affectiones, quae contra in secunda specie fere initio morbi adsunt, nihi-

lo vero minus malum casu posteriori mitius esse, affirmat. Affectiones tamen ossium ad symptomata obstinatissima in syphilitide pertinent, et jure quidem statuere debemus, ubi illae adsunt, malum nobis debellandum esse, organismum gravius jam infestans. Hinc cum Richtero 23) mallem praesumere, probabilitér morbum nostrum cum scrophulis ac rhachitide permutatum, ansam huic adserto praebuisse. Symptomata commemorata certe scrophulas indicare videntur; neque, quod equidem sciam, observationes leguntur, quae, syphylidem tempore pubertatis sua sponte evanuisse, confirment; e contrario symptomata hoc tempore vel magis et gravius prodire solent; scrophulae vero, uti omnibus notum, frequentissime pubertatis tempore evanescent.

Secundum Mahonium 24) papulae ac pustulae suppurantes in corporis superficie inter prima symptomata apparent, quibus jam infantes duos, tres, vel quatuor dies natos inquinatos vidit; pustulas suppurantes majores in digitis manuum ac

---

23) Richter, specielle Therapie. Berlin, 1822. Bd. V. p. 555.

24) l. c. Bd. XIX. p. 403.

pedum semper in infantibus animadvertit, qui nondum octo dies expleverant. Idem affirmat, ophthalmiam interdum jam tertio vel quarto die tumore palpebrarum, exsudatione mucii saniosi et diversis aliis symptomatibus cognosci, e. g. rubore ac corrugatione corneae, nonnullarumque sanguinis guttarum effluvio. Suppurationem vero demum a duodecimo inde usque ad vigesimum diem summum fastigium assequi, adserit. Tanquam postrema symptomata ea memorat, quae indole sua graviores infectionem indicant, nominatim pustulas planas, lividas, quae in cutis superficie conspiciuntur, pustulas et condylomata in ano et genitalibus, ulcera in pene, pudendis muliebribus et ano.

Per se intelligitur, in affectu corporis adeo gravi et intimas partes infestante, constitutionem universalem haud diu intactam manere. Processus digestionis summopere turbatur, infantes debiles sunt, macilenti, tabescentes, cutis rugosa est ac maculosa, faciei color pallidus, luridus, continua inquietudine infantes vexantur, atque vagitum flebilem edunt, praematuram jam senectutem facie exprimunt, animi facultates vero mature ac

celeriter excoluntur. Morbo semper magis crescente, febris lenta tandem ei se adjungit vitaeque terminum accelerat. Quodsi autem medela parvulorum medico prospere cesserit, semper tamen in maxima permanent infirmitate ac imbecillitate, processus nutritionis tarde procedit atque semper fere aliis morbis opportunitas relinquitur, v. c. scrophulis, rachitidi, atrophiae, helminthiasi, in univsum ejusmodi malis, quae inprimis a laefactata reproductionis vi originem ducunt.

Omnibus vero hisce symptomatibus ad morbi venerei praesentiam probandam haud sufficientibus, ad constituendam diagnosis superest, ut statum valetudinis parentum et nutricum investigemus. Quodsi in his symptomata venerea observantur, vel ulcera syphilitica, quibus genitalia matris in partu foedata sunt, vel si ejusmodi ulcera mammas lactantium occupant, nulla amplius dubia circa indolem morbi infantilis locum habere possunt. Porro jam suspicio nobis movetur, si mater forte jam saepius abortum passa sit, vel saepius infantes mortuos ac semi-putridos in lucem ediderit, quod quidem, secundum

Mahonium 25), mulieribus syphiliticis haud raro accidere solet; epidermis tum fere macerata ac putrescens conspicitur, liquor amnii discolor est, putridus ac foetidus. Itidem in suspicionem adducimur, si nobis innotescit, matrem forte jam diu ante syphiliticam fuisse, atque praesumendum est, non radicitus eam esse sanatam reliquiasque morbi in corpore remansisse.

Ex modo dictis satis elucet, quam difficilis in singulis casibus obviis sit syphilidis diagnosi; saepe enim pauca tantummodo ac levia symptomata adsunt, quae haud raro tam parum iudicium nostrum de characterem morbi pathognomonico adjuvent, ut potius aliorum morborum symptomata referre videantur. Maxima igitur cautione ad constituendam diagnosin opus est, medici vero solertiae et usu acquisito acumini fidendum, quorum ope errorem optime vitabit. Ceterum Mahonium 26) indicia certissima censet papulas, pustulas planas ac lividas in cute aut in genitalibus et ano, ulcera venerea in superficie interna labiorum pudendorum externorum, eorumque frenulo,

25) l. c. Bd. XIX. p. 401.

26) ibid. pag. 399.

aut in margine ani, pustulam suppurantem in glande, ophthalmiam, effluviu purulentum ac saniosum e naribus, ulcera venerea in labiis, lingua ac palato molli, ulcera in capite, umbilico vel sub axillis, cariem, quae abscessus in partibus osseis excipit, denique numerosas pustulas in manibus ac pedibus. Fleischius 27) in eo etiam indicium certum inveniri putat, si in ophthalmia purulenta oculi brevi tempore aut destruantur aut maculis albidis contegantur, si palpebrae inprimis ad spectum praebeant coeruleo-rubicundum, aut si maculae colore cinereo vel subcoeruleo in caruncula lacrymali orientur ac vasis conjunctivae tumorem varicosum concilient.

Facillime vero omnino diagnosi in iis infantibus constitui poterit, qui demum durante partu, in transitu per vaginam veneno venereo affectam, hujus morbi contagium contraxerint. Tum enim nunquam statim post partum signa syphilidis occurrunt, sed serius demum, die quarto, octavo, imo decimo quarto apparent. Status genitalium matris cognitus una cum symptomatibus, in in-

27) l. c. Bd. I. pag. 421.

fantibus deprehensis, nullum medico dubium de morbo revera existente relinquere potest. Non minus facile iudicium, si forte in mammis matris aut nutricis, ulcera syphilitica, fissurae et cet. animadvertantur et infans lactando, aut per oscula ab homine syphilitico, ulceribus venereis in ore deturpato, infectus fuerit. Posteriori casu prima symptomata in labiis, in ore, partibusque vicinis conspicua erunt, unde venenum latius propagatur.

## Caput II.

### Aetiologia syphilidis neonatorum.

Infantibus hunc morbum contagio communicari, ulteriori commemoratione haud indiget; hac sectione potius id agendum nobis est, ut modum ac rationem, qua infectio locum habere possit, doceamus. Ante omnia vero ea quaestio nobis est proponenda et dijudicanda: Num fieri possit, ut infans cum morbo syphilitico nascatur, nec ne? Num igitur morbus a parentibus in liberos propagetur ac quasi jure hereditario in eos transeat, sive secus?

Quaestiones istae cum antiquiori tum recentiori memoria saepius motae ac jactatae, multaque, attentione haud indigna, sive affirmando sive negando circa eas prolatae sunt; nihilominus tamen haec contraversia minime ad finem perducta est, et adhucdum de iis variant sententiae. Nimiae igitur audaciae me reum merito exhiberem, si rem dubiam decernere vel opinioni cuicumque pleno assensu accedere sustinerem, cum propria experientia hoc in argumento penitus destituar; quare in eo acquiescendum, ut, quae ab optimis auctoribus huic in finem disputata sunt, breviter tradam atque ex his sententiis prolatis, cuinam insit major, cui minor probabilitas, uti mihi quidem videtur, ingenue profitear.

Inter auctores, qui propagationem hereditariam syphilidis a parentibus ad liberos negarunt; praecipue allegare libet Hunterum 28), Girtannerum 29), Wendtium 30), Richterum 31); contra

---

28) l. c.

29) l. c. und dessen Abhandlung über die Krankheiten der Kinder. pag. 142.

30) Wendt, die Kinderkrankheiten systematisch dargestellt. Breslau u. Leipzig 1822. p. 173.

31) l. c.

Schwediauerus 32), Grunerus 33), Heinekenius 34), Vassalius 35), Mahonius 36), Doubletus 37), Colombierius 38), Fleischius 39), Rosensteinius 40), Henkius 41), Capuronius 42), alii eam affirmare haud dubitarunt.

Nonnulli existimant, sperma virile patris veneri jam sufficere posse, ad infantem syphiliticum gignendum, etiamsi mater omnino sana fuerit; hoc modo jam ipsum germen syphiliticum foret. Quod vero a verisimilitudine longius mihi abesse videtur; hucusque enim argumentis plane care-

---

32) Schwediauer, von der Lustseuche, übersetzt von Kleffel, mit Anmerkungen von Sprengel. Berlin, 1799. Th. II. p. 125.

33) Gruner, Almanach für Aerzte und Nichtärzte, 1784. p. 207.

34) Hufeland's Journal, Bd. VI. St. 2. p. 434.

35) Vassal, memoire sur la transmission du virus venerien de la mere à l'enfant. Paris, 1807.

36) l. c.

37) l. c.

38) Sammlung auserlesener Abhandlungen. Bd. X. St. 2. p. 273.

39) l. c. p. 425.

40) l. c. p. 729.

41) Henke, Kinderkrankheiten. Th. I. p. 260.

42) l. c. Th. I. p. 130.

mus, quibus evincatur, semen virile revera quodcunque venenum excipiendi capacem esse. Ejusmodi vero morbis, qui constitutionem universalem vehementer infesiant, ut scrophulae, lues venerea, et cet, semen multipliciter mutari ac minus efficax reddi posse, res est confessa et explorata, quatenus omnes corporis functiones malo tali male adficiuntur, ita ut et humorum praeparatio manca fiat, ac minus recte procedat. Hinc expedita est explicatio, quomodo patres syphilitici liberos debiles, male nutritos, atque ideo ad alios morbos saepe proclives gignere possint; nihilo secius statuere haud licet, omnibus his morborum infantilium generibus syphilidem revera causam subesse. Quidam utique statuerunt, virus venereum cum sanguine in testes deferri, ibique semini admixtum, eidem materiam contagiosam imperitare atque hac ratione patrem syphilitica seminis sui indole liberos venereos procreare posse. Finge vero, talem veneni transitum in sperma virile haud absonum esse, ab altera parte vix credibile mihi videtur, sperma veneno syphilitico impraegnatum gaudere vi, foetum viventem gignendi; aut, si ejusmodi sperma re vera vim procreandi

adhuc conservaret, partus inde oriretur a naturalibus formationis legibus deflectens atque omnino abnormis.

In considerando hoc momento, occurrunt nobis effectus contagiorum in vivum organismum. Multi putant, materias contagiosas immediate in humores agere, et morbos humorum primarios producere. Sed ut hoc rite constet, haud ignorare debemus, num in universum veri morbi humorum primarii existant nec ne. Haec maximi momenti quaestio semper multas excitavit disceptationes, sed nequaquam ad liquidum res perducta est; non pauca sane de ea conjici, nihil vero certe defini licet. Doemlingius (45), qui uberius istam materiam pertractavit, siquidem, inquit, totius organismi cohaerentiam negligere, quod consociatum est, distrahere et de morbis singularum ejusdem partium sermocinari libeat, eodem jure de morbis quoque humorum loquendum esset, quorum a statu normali aberrationes negandae non sunt. Hinc de morbis humorum primariis duas

---

43) Dömling, giebt es ursprüngliche Krankheiten der Säfte? welche sind es, und welche sind es nicht? Bamberg u. Würzburg. 1800.

notas distinctivas statuit: 1. Existit mutatio status humorum, quae haud e mutata actione partium solidarum pendeat, sed primaria sit. Mutatio primaria humorum tum demum mente concipi potest, si statuatur, alienas materias eisdem admisceri, ita quidem ut in partibus solidis nullam antea mutationem efficiant, quam tanquam causam corruptorum humorum considerare liceret. Morbos itaque contagiosos primariis humorum morbis adnumerat.

2. Sicuti hi morbi primitus in humoribus existunt, ita etiam effectus remedii, quod eos tollit, aliter animo informari non potest, quam si tanquam in humores duntaxat agens consideretur.

Inter morbos igitur, qui vitiis humorum primariis originem suam acceptam referunt, recenset luen veneream, porro variolas, omniaque exanthemata, quae nec mere locales cutis morbi, nec symptomata febris cujusdam sunt, hydrophobiam denique.

Contra has, quas dicit notas distinctivas, opponi posse credo, nullum omnino praesto esse symptoma manifestum, unde specialem affectionem partium solidarum aut fluidarum colligere

liceat; namque partes organismi solidae et fluidae tam arcte inter se sunt consociatae, ut de nulla affectione primaria vel secundaria harum vel illarum certa nobis sit persuasio. Porro in omni materia medica nullum reperimus remedium, de quo notum esset, illud tanquam immediate specificum in humores agere. — Henkius sanguini omnem vitalitatem abjudicat, atque inde optimo jure efficit, omnino nullos existere morbos humorum primarios, sed istos semper a praegressis partium solidarum morbis pendere; nihilominus vero, uti consentaneum est, addit, ideo nequaquam nobis copiam datam, humores ceu minus essentialia quoddam seu passivum considerandi; nam quatenus cum partibus solidis consociati, organismum constituunt, cum his arctissimo mutuae relationis ac vicissitudinis vinculo sunt connexi<sup>44</sup>). Quominus argumenta omnia, quae circa vitalitatem sanguinis affirmando et negando allata sunt, hoc loco exponam, finibus hujus commentatiunculae prohibeor, nimisque longe nos a consilio, nobis proposito, revocaret ejusmo-

---

44) Henke, über die Vitalität des Bluts und primäre Säftekrankheiten. Berlin, 1806. p. 65.

di enarratio; de morbosa humorum mutatione pauca tantummodo adjungam. Si, quod omnino negari non potest, humores in universum morbis obnoxii judicandi, existimo, id eatenus tantummodo contingere posse, quatenus forte eorum cohaerentia vel nimia vel minima est, quatenus porro pars quaelibet constituens vel abundat, vel defectum patitur; e contrario maximopere mihi videtur a probabilitate alienum, materias contagiosas, quippe plane heterogeneas, a sanguine vel humoribus excipi ac cum iis misceri posse, quod utique multi ita se habere censent, contagiis, humores organismi sibi assimilandi, et hoc modo infectionem producendi, vim attribuentes. Quodsi revera ita esset, omnes humores, sanguinem praecipue infectionis capacem esse, necessario sequeretur. Sed contrarium docuit experientia; Hunterus cum sanguine hominum syphiliticorum et variolis laborantium inoculationes instituit, neque unquam effectum quandam in organismum sanum observavit<sup>45</sup>). Similiter notum est, sanguinem hydrophobia laborantium

---

45) l. c. p. 493.

nullam omnino infectionis capacitatem prodere. Sanguinem vi inficiente contagiorum in organismum universalem, quoad mixtionem suam mutari posse, verisimilitudinis quandam prae se ferri speciem, sed hanc ob rem nondum rite concluditur, eidem etiam infectionis capacitatem impertiri. Quodsi vero sanguis ista caret, neque sperma virile venenum syphiliticum participare potest, atque ita etiam translatio morbi venerei per semen patris syphilitici in infantem haud erit statuenda.

Kreysigius<sup>46)</sup> existimat, uti vitia formationis a parentibus infantibus per successionem traduntur, sic etiam quasdam morborum opportunitates, e. g. scrophulosas et cet, quasi hereditate in infantes transire; omnes morbi hereditarii, secundum ejus sententiam, per traditum a parentibus typum omnino explicari possunt, neque opus esse, ut specifica, humoribus admixta, principia statuamus, quod ita etiam in lue venerea se habere, autumat. Haec informatio mihi non videtur

---

46) Kreysig, Handbuch der practischen Krankheitslehre. Leipzig und Altenburg, 1819. Bd. II. p. 233.

admittenda; morborum opportunitates utique per typum parentum liberis traduntur, ideo vero asserendum non est, morbos ipsos hac ratione propagari; multo minus autem credo, hoc in morbo contagioso, uti lues venerea, per typum parentum accidere posse. Namque cum veram opportunitatem vel praedispositionem ad syphilitidem concedere haud nobis liceat, neque propagationem morbi ipsius hoc modo largiri possimus. Rougemontius<sup>47)</sup> affirmat, omnes ad morbos opportunitates, quae a formatione externa ac fabrica peculiari partium internarum pendent, a patre et matre ad liberos per successionem transire posse, quam rem, suo jure, nisi formativo adscribit, utriusque semini proprio. Humores vero venenum specificum, quod parentes in corpore suo servant, participare atque istud cum infante communicare, aequè etiam ab eo negatur.

Alia mota quaestio est: num infans a matre

---

47) Rougemont, Abhandlung über die erblichen Krankheiten. Aus dem Französischen von Wegeler. Frankfurt am Main, 1794. p. 57 u. 58.

durante graviditate infici ac cum malo syphilitico nasci possit, nec ne, aut num ista lues, si ea pollutus in lucem editur, semper demum in transitu per vaginam, quae forte symptomatibus venereis, ulceribus et cet. correpta est, impertiatur? Uti jam supra memoravi, nominatim Girtannerus, Wendtius, Richterius contra disputarunt, asseverantes, nunquam se vidisse infantes, qui statim post partum signa syphilidis prodiderint, sed ea semper demum post quoddam temporis intervalum apparuisse; qua re demonstravisse putant, infantes in partu demum, et quidem durante transitu per vaginam infici. Alii vero, infectionem fieri posse per matrem durante graviditate, perhibent. Sic v. c. Grunerus 48) mulierem syphiliticam infantem parere videbat, qui pessima scabie venerea inquinata, post aliquot dies malo succubuit. — In Hufelandii ephemeridibus casum sequentem litteris consignatum, invenimus: Mulier quaedam, quae ulceribus venereis in collo ac genitalibus, item condylomatibus in ano ac labiis pudendis obita erat, localia duntaxat remedia adhibuerat,

---

48) l. c.

quibus symptomata ista cesserant; haudquaquam tamen malum penitus erat sanatum. Infans, quem serius enixa est, protinus in partu venereus reperiebatur. 49) — Guilielmus Hey, Anglus, similiter de lue, foetui jam in utero impertita, casum quendam narrat. 50) — Morbum autem, interjecto temporis cujusdam spatio post partum etiam erumpere posse, quae Heinekenius 51) expertus est, probant. Is medicus scilicet plures feminas observavit, quibus per exsuctricem veneream venenum traditum erat; nonnullae ulceribus in mammis infestabantur, aliae sine hac infectione locali inficiebantur atque morbus ulceribus in collo, exanthematibus et cet. se exseruit. Plurimae ex iis, quae postea ventrem ferebant, vel nimis mature pepererunt, vel foetus mortuos ediderunt, qui signa hujus mali manifesta prodebant; nonnulli infantes etiam vivi in lucem edebantur, in multis vero jam mox post partum symptomata syphilitica animadvertit, quae mor-

---

49) Hufeland's Journal. Bd. IV. St. 3. p. 498.

50) Med. surg. Transact. Vol. VII. Pars II. 1816. Vid. Med. chirurg. Zeitung. 1817. Bd. IV. p. 334.

51) l. c.

tem eis afferebant. Cum partes genitales in his feminis omnibus sanæ essent, inde concludebat, infantes jam in utero, nec demum in transitu per vaginam infectos esse. Itidem Kortumius 52) plures observavit casus; ubi genitalia matrum omnino sana essent, quarum vero in infantibus, pluribus hebdomadibus post partum symptomata syphilitidis apparerent. In duobus casibus, ab eo allatis, matres eatenus sanatae erant, ut saltem nullum symptoma manifestum prodiret, neque mariti, quibuscum per integros annos intima consuetudine vixerant; inficerentur; nihilominus tamen in infantibus, aliquot post partum hebdomadibus, infectio venerea animadvertebatur. Ceterum igitur, syphilidem mercurio eo usque mitigatam; ut corpus adultum haud amplius ea fortiter aggravetur, ea tamen posse esse efficacia, ut in tenerum foetum propagetur.—Vassalii 53) assertum, ipsam matrem, quæ curatione idonea, ante graviditatem a lue venerea liberata, nullum morbi

---

52) Kortum, Bemerkungen, die venerische Ansteckung Neugeborener betreffend; vid. Hufeland's Journal. Bd. XX. St. 3. p. 31.

53) Vid. Henke's Kinderkrankheiten. Bd. I. p. 260.

superstitis vestigium prodat, sine ulteriore infectione, infantem inficere posse, modum excedere mihi videtur, quamvis ad plura exempla provocet. Valde verisimile est, sanationem haud fuisse perfectam. — Observationes istae, quae probant, morbum etiam, interjecto aliquo tempore post partum prodire posse, si infectio jam in utero contigerit, cum observationibus Mahonii consentiunt, qui, uti in superioribus memoravi, interdum malum post duos menses demum, imo serius post partum erumpere vidit. Rosensteini quoque experientia, id factum esse, confirmat; quapropter veneno venereo diversitatem efficaciae attribuit, quatenus hoc aut vegetum et acre, aut infirmatum ac quasi dormiens esse potest. Si vegetum est, infantem plerumque in vitae periculo versari, ait, quodsi interdum vivus nascitur, signa manifesta syphilitidis secum adfert; veneno in parentibus minus vegeto, infans sanus videri potest, et post aliquot temporis intervallum demum symptomata syphilitica prodeunt 54). Non hujus loci est, doctrinam de lue venerea larvata pertractare; si vero haec revera existat, quod

---

54) l. c. p. 729.

multi statuerunt, Rosensteinii sententiae adstipulari haud dubito.

Omnia exempla supra allata, satis perspicue probare videntur, matrem syphiliticam infanti, adhuc in utero viventi, syphilidem per successionem tradere posse. Superest ut investigemus, quanam ratione id fieri possit, sive per sanguinem ac humores maternos in genere, sive quocunque alio modo. Ut hoc rite dignoscemus, ad ea revertendum, quae supra dicta sunt, cum de infectione per sperma virile sermo esset. Quum vero, uti eo loco significavi, haud censeam, contagia ab humoribus recipi, neque hoc in casu propagationem morbi per sanguinem matris concedere possum; id quod eo imprimis confirmari videtur, quod scilicet immediata conjunctio vasorum matris ac foetus haud observatur quidem, sicuti per plura experimenta instituta exploratum est. Hinc igitur alii modi adsint, necesse est, quibus mater infantem inficere possit, ac si per sanguinem ejus id explicari nequit, statuendum sane nobis erit, per solidas partes infectionem adferri, et hac ratione, ex mea sententia, rei vera conditio, si minus ad liquidum perducì, saltem illustrari quodammodo poterit. Quodsi nempe

internam uteri membranam tanquam continuationem membranae internae vaginae consideramus, quo modo infectio fieri possit, sane intelligere licebit, dummodo symptomata venerea, ut ulcera et cet. in parte vaginae intima adsint, eaque cum membrana memorata uteri interna communicentur, quae certe cum foetu satis arcte conjuncta est. Opponentibus nobis forte, hoc concesso, infantes durante demum partu in transitu per vaginam infici, eatenus refutari posse credo, quatenus satis frequenter, uti quoque jam supra dictum, observatum est, infantes cum symptomatibus syphiliticis in lucem edi. Tam subita commutatio in tanta temporis brevitate, quo infanti ad transitum opus est, statui vix poterit, neque etiam, si symptomata longiori tempore post partum demum appareant, id ad probandam infectionem durante partu sufficiet, uti ex exemplis, ab Heinekenio et Kortumio, supra allatis, manifesto patet. Facile etiam accidere posset, ut vestigia syphilidis tum demum prodeant, cum incitamenta externa partui conjuncta, sicut aër, lux et cet. jam per aliquot tempus in neonatum egerint.

Aliam probabilem ac forsitan meliorem expli-

cationem experimenta a Mondinio 55) instituta, suppeditare nobis possunt, quae demonstrant, amnion et chorion continuationes cutis foetus ipsius esse. Intelligebatur nimirum, vaginam funiculi umbilicalis ex lamella interna et externa constare, quarum illa cum cute, haec vero cum linea alba cohaereat; ambae lamellae super internam superficiem placentae producuntur atque in ejus margine in amnion et chorion inversae mutantur. Alessandrini 56), qui in eadem re experimenta instituit, quae a Mondinio explorata erant, confirmavit. His vero revera ita se habentibus, me iudice, omnino in eam opinionem discedere possemus, ut conjiciamus, ab ipso hoc facto infectionis explanationem pendere. Ista enim ratione partes solidae matris et infantis arctissime cohaerent; cur ergo venenum syphiliticum e genitalibus matris in ovi membranas transferri, non sit probabile, quamvis

---

55) Mondini, Bemerkungen über die Hüllen des menschlichen und einiger andern Säugethierfötus, vid. Meckel's deutsches Archiv für die Physiologie. Halle und Berlin 1819. Bd. V. p. 592.

56) Ibid. p. 604.

viam per humores haud ineat? Ut translationem veneni venerei e genitalibus in cavum faucium per humores fieri, statui non potest, ita etiam hic non erit statuenda. Nequaquam quidem haec tanquam certa et indubitata proferre audeo, credo tamen, infectionis rationem, tali modo mente conceptam, defendi sane posse.

Quod ad Hunteri sententiam hac de re attinet, nimis mihi a probabilitate videtur aliena. Putat nimirum, si translatio morbi a matre ad infantem in universum accipienda sit, infectionem infantis in utero sic animo sibi informare posse, ut eandem a parte quadam ejus ipsius veneni derivet, quae matrem infecerat et ab ipsa resorpta erat, nullatenus vero a morbo matris; venenum igitur, sive partes solidas matris ad motum sollicitet, sive minus, duntaxat tanquam venenum resorptum, ad infantem perferri posse. 57).

Num forsan per nervorum impulsus infectio contingat, difficile est dictu. Superiores medici, nervos in utero adesse, negarunt, quae opinio vero a Tiedemann 58) sufficienter refu-

---

57) l. c. pag. 492.

58) Tiedemann. tabulae nervorum uteri; cum IV tab. aen. 1823.

tata est. Quosdam morbos uteri, e. g. scirrhum et carcinoma, Patrix, Zenkerus et Camperus, tanquam e nervis prodeuntes considerarunt. Nonne fortasse translatio per nervos mente concipi poterit, si eos casus respiciamus, ubi gravidæ cum infantibus in utero variolas communicabant, ipsæ nequaquam eo morbo correptæ, uti Jennerus 59) duos allegat, porro, ubi infantes in utero ictero occupabantur, matrum animis antea vehementer commotis?

Contra Girtanneri sententiam, infectionem scilicet in utero nullo modo statuendam esse, sed eam semper demum in transitu per vaginam symptomatibus venereis affectam, contingere debere, experientia ac multorum medicorum pugnant observationes. Primum enim multi casus noti sunt, ubi infantes syphilitici nascerentur, quamvis nulla vestigia ulcerum venereorum in genitalibus matris adessent. Porro mucii secretio in vagina durante partus temporis valde augetur, infans ipse vernice caseosa sic dicta obductus est, quæ momentis externis haud parum certe resistit,

---

59) Med. surg. Transact 1809. Bd. I No. 21. und Götting. gelehrte Anzeigen. 1810. No. 1. u. 2.

etiamsi utique etiam cutis neonati admodum sit tenera ac tenuis, ideoque recipiendis alienis materiis eo magis idonea. Denique temporis spatium, quod infans in transitu per vaginam peragit, tam breve est, ut vix infectio intra illud cogitari possit. Quodsi tamen forte particulae quaedam veneni, eidem adhaerentis, remanerent, hæc quidem facillime ablutione diligenti infantis, statim post partum, removeri potuissent. Longe quidem absum, ut credam, infectionem hac in via fieri non posse; verum enimvero tam frequenter, quam multi auctores putant, certe haud occurrit, minime vero in quovis casu obvio statuenda est, ut Girtannerus praesumit. Multae vero observationes demonstrant, matres, quæ affectionibus venereis in genitalibus internis infectatae essent, liberos sanos in lucem edidisse, quæ nec postea ulla syphilidis vestigia prodiderint.

Aliud infectionis genus infantium post partum, de quo plures auctores loquuntur, lacte nutriticum syphiliticarum contingere posse, dicitur. Rosensteinius 60) Capuronius 61), alii, eam sta-

---

(p) l. c. p. 733.

tuendam esse, pronuntiarunt. Existimo autem, quatenus humores virus venereum haud excipiunt, id nec lacte fieri posse, atque adeo aliorum opinioni Wendtii 62) scilicet, Fleischii 63), Richteri 64), adstipulor, qua duci perhibent, infectionem lactatione allatam tum solummodo locum habere, si lactans affectionibus syphiliticis localibus, ulceribus in mamillis et in circuitu earum laborat, ubi igitur infectio locali duntaxat contactui originem suam acceptam refert, atque prima ejus symptomata in labiis et ore appareant, necesse est. Hoc quidem certum est et exploratum, lac nutricum syphiliticarum, reproductionis vi in eis in universum labefactata, plus vel minus corruptum esse, ideoque pauciores partes nutrientes continere; hanc ob causam infantibus nec idoneum nec sufficiens alimentum praebere potest, quos adeo male nutritos ac debiles esse oportet. Sed haudquaquam inde infectionem veneream colligere licet.

---

61) l. c. Th. I. p. 131.

62) l. c. p. 173.

63) l. c. Bd. I. p. 431.

64) l. c. Bd. V. p. 548.

Praeterea vel multae aliae existunt viae, quibus venenum ad infantem pervenire possit, omnes vero in eo positae, quod partes infantis immediato contactui veneni syphilitici expositae, inficiuntur. Potest scilicet illud per oscula impertiri, per turpissimam plurium nutricum consuetudinem, infantibus cibos praemandendi, quare quidem hi cum viro syphilitico commiseri possunt. Porro etiam valde consueta ac pessima est ratio multarum nutricum, qua infantem ejulantem genitalia fricando permulcere et quieti tradere operam dant. Quod si accidit, infantes frequentissime inficiuntur, hominibus istis leucorrhoea venerea, exanthematibus syphiliticis et cet. laborantibus 65). Non solum contactu venenum in infantes propagant, sed mature etiam hoc modo viam eis ad masturbacionem muniunt.

Postremo quoque per fascias, vestimenta, lectos, instrumenta, quae forte materia venerea polluta sunt, infectio promoveri potest.

---

65) Stark, Archiv für die Geburtshilfe, Frauenzimmer- und neugeborener Kinderkrankheiten, Jena, 1792. Bd. IV. St. 3. p. 544.

## C a p u t III.

## Syphilidis neonatorum prognosis.

Prognosis hujus morbi in infantibus non minus difficilis est quam in adultis; multum tamen a corporis constitutione, aetate infantis, et ex eo pendet, an malum plus vel minus diffusum sit. Quamvis autem medela in univcrsum non tantis prematur difficultatibus, quam in adultis, magnam tamen semper morbus vim in vitam posteriorem infantis exserit; nam plerumque debilitas systematis lymphatici relinquitur, atque ex hoc vitio saepius pessimae oriuntur sequelae. Infantes fiunt scrophulosi, rhachitici, helminthiasi laborant et cet. adeoque vitam tristissimam degunt; quid? quod si male res ceciderit, in perniciem ruunt atque his morbis secundariis denique succumbunt. Inprimis vero hoc spectandum est, infantes, durante graviditate infectos, frequenter nimis mature in lucem edi, ideoque etiam nondum satis efformatos esse. Accedente igitur morbo, tam tenero organismo summe infecto, facile est intellectu, qualia hoc casu futura sint omina.

Auctores vel plura signa prognostica specialia recensent, inter quae illud ad sinistra pertinet auspicia, si infans faciem sortitur senilem, flaccidam, si somno nimis indulget, nec amplius manus appetit 66). Ulcera in labiis lethalia esse dicuntur, si in media eorum parte deprehenduntur, vel labii frenulum simul corripunt; itidem ulcera in ore, si ad medium palati mollis porriguntur, ac color oris in nigricantem abit 67). Eodem modo etiam symptomata oculorum, nasi et aurium plus minusve erunt ancipitia, prout eadem ad majus vel minus fastigium adscenderint. Ulcera in capite, condylomata ac rhagades in ano probant inveteratum jam malum, et ideo periculosissimis symptomatibus accensentur. Magnum discrimen vero portendunt ulcera in umbilico, quae ex inflammatione erysipelatosi ibi nascuntur, ac plerumque in gangraenam vergunt, imo saepe lethalia fiunt; nec minus ominosa sunt ulcera in osse sacro, quia facile cariem adducunt 68). Singularem ac memorabilem observationem medicorum nosocomii venerei, quod est Vaugirardi, prope

66) Richter. l. c. Bd. V. p. 556

67) Mahon, l. c. Bd. XIX. p. 410.

68) Girtanner, l. c. p. 427.

Lutetias Parisiorum, Girtannerus 69) allegat, scilicet pro rata multo plures infantes venereos aetate infantilem superare, quam sanos. Wendtius 70) hanc rem effectui mercurii, in syphilide adhibiti, adscribit, qui, dum nimis luxuriantem vegetationem limitat, eo ipso non solum syphilidem sanat, sed etiam quae in systemate reproductivo ad perniciem vergunt, feliciter debellat. Porro Girtannerus 71) in prognosi sua affirmat, infantes, qui in partu inficiantur, multo difficilius sanari, quam qui serius per nutricem infecti sunt. Quatenus tanta hic differentia locum habeat, non satis intelligitur, quam ambo infectionis genera in veneni contactu versentur, atque eo tantummodo differant, quod, infectione sugendo contracta, prima symptomata semper in ore manifestentur. Credo potius, istud assertum de iis infantibus magis valere posse, qui jam in utero infecti sunt; namque hi tenerrima aetate malo correpti sunt, ubi evolutio nondum gradum altiore attigerat, quare morbus eo expeditius ac penitius organisationi inseri potest. Major hoc in casu morbi diuturni-

69) Ibidem.

70) l. c. p. 477.

71) l. c. p. 427.

tas non minus ejusdem progressum fovet ac promovet. Quae quidem omnia in iis haud animadvertuntur, qui in partu demum infecti sunt, quare in eam adducor opinionem, casibus eis, ubi Girtannerus haec observasse putat, infectionem in utero subjacere. Cum vero, uti jam in sectione superiori memoravi, talem omnino negat, ac duntaxat infectionem durante partu statuat, consentaneum est, istam observationem ab eo semper ad posteriorem referri.

Ex Rosensteini 72) ac Girtanneri 73) aliorumque sententia, lactationem magnam vim in curationis successum exserere, perhibetur; sanationem enim melius procedere, ajunt, quam diu infantes mammis adhuc adhaerent, quam postea.

Quodsi morbus ad ejusmodi pervenerit fastidium, ut ars eum debellare amplius non valeat, plerumque febris lenta accedens, vehementibus doloribus concomitata, miserrimae infantium vitae finem imponit. 74)

72) l. c. p. 757.

73) l. c. p. 426.

74) Richter, l. c. p. 557.

## Caput IV.

### Syphilidis neonatorum cura.

Quod postremo ad curandi rationem attinet, auctores haudquaquam in ea consentiunt. Nonnulli suaserunt, curationem unice in infante instituendam, alii censent, matrem aut nutricem esse tractandam, alii denique matrem seu nutricem et infantem simul curationi subijci debere, praecipiunt. Harum rationum nulla improbari meretur; credo vero, in hac vel illa methodo eligenda, cardinem rei in eo potissimum verti, ut omnes quae adsunt, conditiones probe spectentur. Qui lactantem duntaxat respicere volunt, usum forte remedii et hic tutissimi ac efficacissimi, nimirum hydrargyri, in tenero infante metuerint, atque sanationem per ipsam lactantem efficere ideo praetulerint. Qui metus vero vanus est, cum e contrario experientia satis frequenter confirmaverit, infantes mercurium pro rata multo melius ac majoribus dosibus perferre quam adultos, neque salivationem tam cito in eis provocari. Quodsi mater ipsa infanti lac praebere haud recuset, per se intelligitur, adhibitionem hydrargyri in ea indicari, ad propriam sanationem perficiendam. Si

vero nutrix sana huic negotio destinaretur, eidem infantem syphiliticum lactandum tradere, ut lacte ejus cum damno propriae salutis, infans sanetur, in religionem merito trahendum esset; namque infante syphiliticis affectionibus in ore laborante, et nutrix haud dubie inficiatur, necesse est. Ceterum etiam vix nutrix, integra sanitate gaudens, praeter rem medicamenti excruciarum atque insuper infantem venereum mammae admoventi pateret. Contra eos, qui proponunt, nutricem aequae lue venerea affectam, adhibendam esse, Gir-tannerus 75) recte monet, infantem hac ratione novae infectioni exponi; morbo enim ejus nondum eo progressu, ut os jam infectum sit, id quidem tum certe eveniet, si nutrix forte ulceribus in mamillis laboret. Hoc casu igitur nutritio artificiosa, simul etiam usus mercurialium in infante ipso indicatus foret. Alii curationem matris vel nutricis ob eam rationem omnino rejecerunt, quod mercurii vestigia secundum Bertholeti 76) experimenta, nunquam in lacte earum reperta sint, quae eum adhibuerant; vanam igitur ac in-

75) l. c. p. 430.

76) Bertholet, diss. de lacte animalium medicamento. 1779.

utilem hanc medelam judicarunt. Interim auctores quidam plures casus in medium proferunt, ubi sanatio isto modo perfecta sit, atque huic adserto inprimis sententiam suam superstruunt, quod solummodo et unice lacte nutricum, quae cortice peruviano usae fuerant, febres intermittentes in infantibus sint sanatae, quodque itidem per remedia laxantia, nutricibus exhibita, lacti earum vis purgativa sit impertita 77). Doubletus plurimos infantes venereos eo sanavit, quod nutricibus, eos lactantibus, unguentum mercuriale infricari praecepit 78). Haec facta omnino docere videntur, lac pariter vim mercurii participare atque eo ipso ad luem infantium sanandam idoneum esse. Imo Rosensteinius 79) ac Schwediaeuerus 80) proposuerunt, deficiente nutrice, infantes lacte caprino nutrire. Ut vero et huic vires medicantes impertiantur, caprae loco quodam pilos detondere atque in eodem unguentum mercuriale infricare, jubent. Levretus 81) utilitatem hujus

77) Richter, l. c. p. 559.

78) l. c. Bd. VII. St. 4. p. 621.

79) l. c. p. 763.

80) l. c. Bd. II. p. 126.

81) Levret, l'art des accouchemens. Paris 1761, p. 257.

rationis confirmat, afferendo, se eadem etiam multos infantes sanasse. Num penitus sit rejicienda, uti Henkius 82) vult, decernere non audeo; attamen eatenus sane adhiberi non poterit, quatenus animal mox morbo corripi et trismo infestari dicitur.

Plurimorum auctorum experientia comprobavit, mercurium optimo successu in ipso infante adhiberi, atque eomet credo, hanc curandi rationem tutissimam esse, dummodo caute procedatur, et inter plura mercurialia iis tantummodo utamur, quae tenerae infantium aetati accommodatissima sunt. Suadendum igitur erit, ut praeparata mitiora in usum vocentur, e. g. merc. solub. Hahnem., merc. dulc. etc.; plane vitanda autem omnia vehementer agentia, nominatim merc. subl. corrosivus, merc. nitrosus etc. Bina priora praeparata, in pulvere cum sacharo adhibita, infantes optime sustinent, et observationes medicorum in eo consentiunt, quod raro cogimur, ad fortiora remedia refugere. Eorundem dosis ad octavam usque ad quartam grani partem semel vel bis quotidie sumendam, finitur; saepe pauca grana ma-

82) Henke, Kinderkrankheiten. Bd. I. p. 262.

lo omnino tollendo sufficere, feruntur. Sic Bucholzius casum quendam allegat, ubi infans unius anni, per nutricem infectus, post propinata grana ex mercurii dulcis, quae intra dies duodecim consumserat, ad integram sanitatem perductus fuit 83). Wendtius quoque mercurium dulcem commendat, monendo tamen, cavendum esse, ne, quod facile fit, alius hoc modo cieatur, atque in hunc finem eundem cum additamento ex amylo imperandum, suadet 84). Sic etiam effectum ejus in glandulas salivales cavere debemus; quamvis is in infantibus non ita celeriter contingat, si apparet tamen, malum augurium exhibet. Nam hac humorum jactura gradus debilitatis, in hoc morbo ultero obvius, valde augetur; ideo proderit, simulac vel minimae oris adfectiones animadvertantur, usum mercurii eo usque intermittere, donec istud symptoma penitus evanuerit, atque simul regimen diaphoreticum observare.

Wendtius etiam commendat inunctiones cum unguento mercuriali in superficie interna artuum faciendas. 85)

---

83) Rosenstein, l. c. p. 767.

84) l. c. p. 179.

85) *Ibidem*.

Alia adhuc medendi ratio est, quam ordo medicus Parisiensis proposuit, scilicet suffitiones, sic dictas mercuriales adhibendi, et in hunc finem, cinnabarim carbonibus candentibus inspergere, jussit. Ejusmodi suffitioni infantem plane denuatum, receptaculo quodam ad hunc potissimum usum fabricato, exponendum esse, praecepit, ita tamen, ut caput omnino liberum sit 86). Ista hydrargyrum impertiendi ratio minime mihi videtur idonea; vix enim impediri poterit, quo minus et infans aliquam ejus partem spirando attrahat, atque vaporis vis in pulmones noxae eidem esse facile poterit. Omisso autem hoc pessimo effectu secundo, ex altera parte remedium illud nec satis efficax mihi videtur, ad venenum penitus decomponendum. Quod reliquum est, vix credo, nostra memoria hanc methodum imitatores reperitiam.

Tanquam remedium insigne, optimo successu conspicuum, Capuronius acidum muriaticum oxygenatum affert, imo mercurialibus illud anteponit. Tum matri vel nutrici solum, tum simul infanti id praebendum, putat, isti vero, uti consentaneum

---

86) Mahon, *oeuvres posthumes*, p. 380.

est, parca admodum portione grani  $\frac{1}{24}$  dosi sensim ad  $\frac{1}{4}$  gr. ascendendo, cum eoque diaphoreticum, e. g. decoctum sarsaparillae conjungendo. Ceu inprimis accommodatum, istud remedium commendat in casibus morbi valde inveteratis 87). Ceterum nimis paucae de eo existunt observationes, quae iudicium nostrum circa ejus effectum certum possint reddere ac definitum; forte etiam nihil magis praestat, quam in curanda syphilide acida in universum.

Porro duorum adhuc remediorum mentio est injicienda, nimirum succi recenter expressi chelidonii majoris ac liquoris Köchlini compositi. Prius memoratum ab Hufelandio in curando infante duodecim annorum adhibitum est, cui inscio contagium per os allatum erat, horrendoque modo palatum et os palatinum destruendo invaserat. Per dimidium anni mercurialia fere omnia, opium, acida, sabina aliaque medicamina sine fructu in usum vocata erant, donec istud tandem ad duas usque ad quatuor drachmas quotidie propinatum, saluti aegroti restituendae profuit 88). —

Liquoris Köchlini compositi, extrinsecus adhibiti, Goelisius 89) in ulceribus oris venereis, duobus infantibus adhaerentibus, quibus ea per oscula impertita erant, effectus mire salubres conspicebat. Octo dierum spatio haec ulcera, quae jam dimidiam oris cavitatem occupaverant, iis sexies quotidie illo liquore illitis, evanuerunt. Intrinsecus isto remedio usus non est.

Quoad denique symptomata localia, syphilidem neonatorum comitantia, v. c. ophthalmiam, ulcera etc., haec pro gradu vehementiae, mitioribus vel fortioribus mercurialibus curantur, atque tractatio eorum ab ea, quae in adultis adhibetur, parum seu prorsus non differt. Medela morbi universalis semper caput rei ac conditio primaria est, sub qua, remediis internis, supra commemoratis, recte in usum vocatis, remotio symptomatum localium exspectari possit. Quodsi morbum auspicato sanare nobis contigerit, id agendum est, ut constitutio infantis generalis emendetur et infirmitas inprimis systematis lymphatici, post malum plerumque manifesto superstes, cura secundaria idonea tollatur. De reliquo, per se

87) l. c. p. 137.

88) Hufeland's Journal, Bd. 32. St. 6. p. 27.

89) Med. chirurg. Zeitung. 1818. Bd. IV. p. 96.

utique intelligitur, durante tota curatione maximam observandam esse munditiam ac quodcunque refrigerium summopere vitandum. Balnea tepida, saepius adhibita, multum certe medelae principali adjuvandae inservient.

In coronide dissertationis meae superest, ut paucula verba adjiciam de curatione prophylactica, quomodo nimirum infectio infantium durante transitu per vaginam sit praecavenda, symptomatibus localibus in genitalibus gravidam infestantibus. Quae, si mature observantur, ea ante partum remediis idoneis removere, consentaneum est; sed proh dolor! ejusmodi symptomata plerumque incipiente demum parturientium labore cognoscuntur. Tum vero medici est, transitum per vaginam infectam, quantum potest, infanti innoxium reddere. Ex parte utique jam natura id agit, dum inter partum plus mucii secernitur, quo venenum diluitur et defluente liquore amnii, magna ejus copia amovetur. Nihilominus tamen imperatum est, ut mox post rupturam ovi, genitalia externa ac vagina vel lixivio kalino diluto, vel tenui solutione mercurii sublimati corrosivi purgentur, atque praeterea etiam, ut statim post partum infantis, et ejus corpus pariter solutione

mercurii sublimati corrosivi, tandem vero aqua abluatur 90). Quatenus haec remedia infectioni cavere possint, mei non est decernere, cum hac ratione propria experientia destituar; id vero omnino certum mihi videtur atque exploratum, purgationem accuratam infantis statim post partum multum ad praecavendam infectionem facere.

Quodsi infans integrā sanitate gaudeat, et per nutricem alatur, necessarium sit, cardo rei in eo vertitur, ut in ea deligenda, summa observetur cautio, ne per hanc infans in contagii contrahendi discrimen adducatur.

---

90) Hufeland's Journal. Bd. IV. St. 3. p. 512, und Hecker, l. c. p. 782.

## THESES DEFENDENDAE.

1.

Haemorrhagiae sunt morbi symptomata, sed non morbus ipse.

2.

Non semper, ut morbi causa removeatur, prima est indicatio; quia saepe urgentem indicationem praebet causae effectus.

3.

Consilium quorundam obstetriciorum: solutionem placentae, sectione caesarea facta, naturae committendi, omnino est rejiciendum.

4.

Hydrops ventriculorum cerebri morbus nunquam est primarius.

5.

Sunt remedia specifica.

6.

Morbos salutare esse contendo.

---